

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 391

**Auteur(s)** : Adrien IV [pape]

**Bénéficiaire(s)** : Jumièges, Saint-Pierre (abbaye)

**Genre d'acte** : bulle

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1156, 26 avril

**Lieu d'émission** : Bénévent

**Action juridique** : confirmation générale

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Bulle du pape Adrien IV portant confirmation des biens de l'abbaye de Jumièges dans les localités suivantes : Jumièges, Heurteauville, Mesnil[-sous-Jumièges], Yainville, Duclair, Trubleville (comm. Saint-Paër), Norville, Tourville[-la-Haule], Quillebeuf, Saint-Aubin-sur-Quillebeuf, Guiseniers, Bosc-Roger, Mézières, Genainville, Saint-Vaast[-Dieppedalle], Hautot[-l'Auvray], Limanville (comm. Saint-Vaast-Dieppedalle), Beaunay, Croixmare, Bretteville, Lillebonne, Caudebec[-en-Caux], Folny (comm. Fresnoy-Folny), Tourville[-la-Rivière], Gouy, Les Authieux[-sur-le-port-Saint-Ouen], Gruchet, Cottévrard, Hauville[-en-Roumois], Motteville[-l'Esneval], Rouen, Varengeville, Varaville, L'Heure (comm. Le Havre ou Graille-Sainte-Honorine), Les Cottes (comm. Boisguillaume), Saint-Martin-du-Parc, Malleville[-sur-le-Bec], Le Landin, Pont-Authou, Pont-de-l'Arche, Cerisey, Miserey, Jouy[-sur-Eure], Gauciel, Rouvray, [Saint-Pierre-d']Autilz, Saint-Marcel, Saint-Étienne-sous-Bailleul, Gauville[-près-Verneuil], Piseux, Ouézy, Vieux-Fumé, Coulonces, Dame-Marie, Vimoutiers, Les Crouttes, Verneuil, Bû, Saint-Martin, Villejuif, Ivry[-sur-Seine], Colombières, Montataire, Saint-Pierre-du-Manoir, Bayeux, « Winterburnestock », « Chentona ».

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Vernier Jules-Joseph, *Chartes de l'abbaye de Jumièges (v. 825-1204)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1916, 2 vol., n° LXXVII, t. 1, p. 186-192.
- b. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 87, p. 173 (édition partielle).

### Indications

Jaffé Philippe, Wattenbach Wilhelm, *Regesta pontificum Romanorum ab condita ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII* 2<sup>e</sup>éd., Leipzig, Veit, 1885-1888, 2 vol., n° 10175, t. 2, p. 118.

Texte établi d'après a

Adrianus, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Petro, Gemmeticensis monasterii abbati, ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum. Desiderium quod ad religionis propositum et animarum salutem pertinere monstratur, auctore Deo, sine aliqua est dilatione complendum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et Gemmeticense monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio

communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium inpresenciarum juste et canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, Deo propicio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis : Gemmeticum videlicet in quo idem monasterium situm est cum ecclesia sancti Valentini, Hartelvilla[m], Masnilium cum ecclesia sancti Philiberti, et Eudonis villa[m] cum ecclesia sancti Andree, et ceteris appendiciis earum ; Durclarum cum ecclesia sancti Dionisii, medietatem Trubeville cum ecclesia sancti Paterni et decimis, Nutrivillam cum ecclesia sancti Martini, Turulfivillam cum ecclesia sancte Marie, Chelebou cum ecclesia sancte Marie, telonio, piscariis aquarumque decursu usque ad nigrum portum, partem quam habetis in villa que dicitur Spinetum cum ecclesia sancti Martini, Waneborc cum ecclesia sancti Albini, Gisiniacum cum ecclesia sancti Dionisii, terciam partem decime ville que dicitur Nemus Rogerii et terciam partem decime ville que dicitur Macerie, Genestevillam cum ecclesia sancti Petri, et omnibus earum appendiciis ; ecclesiam sancti Vedasti, ecclesiam de Hotot, capellam Lemainsville, terram Radulfi filii Anceredi apud Belniacum et aliam ibidem terram, ecclesiam sancti Albini apud Crusmaram et quandam partem decime Breteville ; in ripa Risle unum molendinum ; apud Insulam Bonam unum molendinum ; in fluvio qui dicitur Chaldebec molendinum unum ; ecclesiam de Foliniaco ; ecclesiam de Torvilla cum decima, et terra ad eam pertinente ; ecclesiam de Goiel cum decima, et decimam ville que dicitur Altaria et illius que dicitur Cruciacus ; apud Cotevart ecclesiam sancti Martini, et ecclesias de Bosco Berengerii et de Grosso Mainsnillo, cum omnibus terris et decimis que ad vos pertinent ; partem quam habetis in Hauvilla, partem in Mautevilla ; portum qui dicitur Tutus cum omnibus appendiciis suis ; Rothomagi, ecclesiam sancti Andree cum terra ad eam pertinente et tribus hospiciis, et ecclesiam sancte Marie de Warengervilla cum decima et quicquid habetis in ecclesia sancti Petri ; apud Waravilla[m] viginti summas salis, et in villa Luere quindecim summas salis ; medietatem ville que dicitur Scote. In eodem episcopatu, ecclesiam sancti Martini Senis, ecclesiam de Malavilla et ecclesiam sancte Crucis de Landinco ; partem quam habetis in Ponte Autou. In episcopatu Ebroicensi, Pontem Arche cum ecclesia sancti Vigoris ; Carisi cum ecclesia sancti Leonardi ; decimam ville que dicitur Miseri ; Gaudiacum, Wausiel, Rouvreium, cum tribus ecclesiis sancti Petri ; in Longavilla, parrochiam que dicitur Altiz cum ecclesia sancti Petri, et terciam partem decime Sancti Marcelli ; villam que dicitur Cantalupus cum ecclesia sancti Stephani, decimis et omnibus earum appendiciis ; ecclesiam de Gauvilla ; ecclesiam de Puteolis. In Sagiensi episcopatu, Osiacum cum ecclesia sancti Albini, Vadumfumatum cum ecclesia, Colluncellas cum ecclesia sancti Petri, villam que dicitur Donnamarca cum ecclesia sancte Marie, decimis et earum appendiciis. In Luxoviensi episcopatu, Vimonasterium cum ecclesia sancte Marie, Criptas cum ecclesia sancti Michaelis, decimis et earum appendiciis. In Carnotensi episcopatu, Vernolium cum ecclesia sancti Martini, villam que vocatur Bou cum ecclesia sancte Marie, villam Sancti Martini cum ecclesia, decimis et reliquis earum appendiciis. In Parisiensi episcopatu, medietatem Ville Judei ; apud Ebriacum hospites viginti ; partem quam habetis in Collumbariis. In Belvacensi episcopatu, apud Montem There ecclesiam sancti Petri et sancti Leonardi cum appendiciis suis. In Baiocensi [episcopatu], ecclesiam sancti Petri de Manerio cum decima sua et terra ad eam pertinente ; in ipsa civitate, terram, domos ad vos pertinentes, deciman telonei et vicecomitatum ipsius civitatis. In Anglia, majorem partem insule que Helingeia vocatur cum ecclesiis et tocuis insule decimis ; apud Wintreburnestoch et Chentoniam, ecclesias duas cum pertinenciis earum. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astucia seu violencia preponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam providerint eligendum ; consuetudines quoque cluniacenses in vigiliis, silentiis et jejuniis et aliis sanctis institutionibus semper teneantur ibi. Decrevimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere aut aliquibus vexationibus fatigare ; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritatis et diocesanorum episcoporum canonica justicia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, hanc nostre constitutionis paginam, sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo terciove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Datum Beneventi per

manum Rolandi, sancte romane ecclesie presbiteri cardinalis et cancellarii, .VI. kalendas maii, indictione .IIII.,  
incarnationis dominice anno .M°. C°. L°. VI°. , pontificatus vero dompni Adriani pape III anno secundo.